



2. F. F. 2. S.
IN ACADEMIA FRIDERICIANA
CELEBERRIMI AUTORIS

De
RATIONE STATUS
Dissertationem XV. & XVI.

De
**VOTORUM PLURALITATE ET
ARBITRIO IMPERATORIS, DEQUE
REGIMENTIS IMPERII, DEPUTATIONE, CIRCU-
LARIBUS CONVENTIBUS, ET VISITATIO-
NE CAMERÆ,**

Cum adjuncta Qvæstione
*An Mancipia Turcica per Baptis-
mum manumittantur.*

Publicè ventilabunt
Die V. Octobris M DC XCIII, horis antemer. à X. ad
XII. & pomeridianis à III. ad V.

CHRISTIANUS THOMASIUS,
& Respondens
HENNINGUS ADOLPHUS Koch/
Hoyensis.

HALAE MAGDEBURGICAE
Typis CHRISTOPHORI SALFELDII, REGIMINIS ELECT.
BRANDENB. Typ.

tu
on
ia
d-
&
r-
i-
o-
t-
d-
t-
e
3
:
:
:
:
:





QVÆRO VIII.

An Mancipia Turcica per Baptismum
manumittantur?

Non videtur.

§. I.

Diximus quæstione 6. non magnum usum
habere Jus Romanum in mancipiis Turcicis. Revo-
cavit ea quæstio in mentem dubium jam ante aliquot
annos conceptum. Videlicet disputavit Amicus an-
te quadriennium in vicinâ Academiâ cum consen-
su & autoritate Magnifici ibidem Jctorum ordinis;
de Mancipiorum Turcicorum Manumissione Baptismo implicitâ, eamque ma-
teriam per totam servitutis doctrinam fusius executus est. Putavi
tùm statim disputari de non ente, sed autoritas ordinis Juridici ex
alterâ parte me dubium fecit, ut præsumerem, Consultissimum istum
ordinem Jctis pluribus atque celeberrimis constantem, autoritatem
suam non interpositurum fuisse, nisi ipsis de existentia hujus manu-
missionis constaret. Sed successu temporis dubium pro parte negativâ
magis magisque corroboratum est, unde, quoniam de materiâ practi-
câ agitur, non agrè laturus arbitror & Amicum Disputationis Præsi-
dem, & Inclutum istum Jctorum ordinem, si ipsis dubia mea propo-
suerō, paratus informatione debitâ accedente in ipsorum castra
transire.

§. II.

Si quæstionem: An sit? dissertationi suæ præmisisset Clarissi-
mus Autor, facillimo negotio dubia mea expedire possem. Jam au-
tem cum existentiam hujus manumissionis præsupposuerit, paulo alti-
us res videtur esse reperenda. Præsuppono igitur, etsi aliàs quilibet
de re sua disponere pro lubitu possit, noluisse tamen plerasque gentes
ob interesse publicum, & potissimum Romanas manumissionem ser-
vorum sine aliqua solemnitate fieri, adeoque modos manumittendi
lege

lege publicà definivisse. Jam autem manumissio per baptismum est
ens Juri Romano planè incognitum, neque de eâ diligentissimus an-
tiquitatum Romanarum in re præsentì indagator Wilhelmus a Loon
de manumissione servorum apud Romanos quicquam meminit. Neque ju-
ri Justinianæo hanc manumissionem cognitam esse indicio est, quod
Judæis in specie interdictum fuit habere mancipia Christiana, quâ pro-
hibitione opus non fuisset, si per Christianismi professionem quis ex
servitute in libertatem transivisset. Jus Canonicum quod attinet,
neque in eo quicquam deprehendere potui, quod manumissioni huic
per baptismum faveret, multa vero argumenta visus mihi fui depre-
hendisse, quæ contrarium indicarent. 1. Servi non potuerunt pro-
moveri ad sacros ordines, nisi à Dominis libertatem consecuti fue-
rint. Si tamen servus sciente Domino fuerit ordinatus, ex hoc liber
habebatur & ingenuus. *Lancellott. Instit. Juris Canon. lib. I. tit. 25. §. 2.* Er-
go servi etiam Christiani fuerunt, neque baptisma pro manumissione
valuit, sed ordinatio. 2. Servus si prius ignorante Domino ad sacra
ministeria ordinatus monachus fieri elegerit, jugum servitutis eva-
dere hoc ipso potuit, aliàs intrà unius anni spatium Domino &
servilem fortunam probare & servum suum recipere licebat. *Lancell. l.*
1. tit. 30. §. 6. Ergo monachismus demum manumissionis efficaciam ha-
buit, non baptismus. 3. Idem Lancellotus *l. 2. t. 11. §. 7.* dicit, servum à
sacramentis Ecclesiæ & à matrimonio non esse removendum. Ergo
mancipia per baptismum non sunt liberata à servitute.

§. III.

Neque moribus hæc manumissio est introducta. Quin poti-
us iidem contrarium testantur. Ipse ego in illo loco, ubi Disputatio
dicta fuit habita, patrini personam in baptisate ejusmodi mancipiū
Turcici sustinui, & nihilominus tamen Dominus æquè post baptis-
mum Dominium in servum istum retinuit, atque antè habebat, eum-
que non diu post donando alii, alienavit. Adde quod & utilitati
publicæ & principiis Christianismi videatur aliquo modo repugna-
re, si per baptismum fiat manumissio. Nam id certum est
baptismum non denegandum esse mancipiis quibuscunque
infidelibus ad Christianismum adspirantibus, etiam invitis Dominis.
At si per baptismum simul consequerentur mancipia libertatem, oc-
casio daretur, ut multi propter bonum temporale simularent deside-
rium Christianismi, aut ut Christiani fierent propter utilitatem tem-
poralem, non propter veritatem & salutem spiritualem. Quamvis
autem notet B. Brunnem. *Juris Eccles. lib. 2. cap. 18. §. 9. p. 696.* non esse
A 2 Simo-

Simoniacum, expressâ promissione alicujus rei temporalis aliquem alligere ad Baptismum vel religionem suscipiendam, graviter tamen addit Illustr. Dn. Ordin. p. 715. sine dubio illum, qui Baptismum vel religionem spe præmii temporalis recipiat, gravissimum committere peccatum. Nec ab hoc eum absolvendum esse, qui alterum spe præmii alligit. Aliis argumentis utendum, quò ad religionem adducatur infidelis, & non temporaria sed divina ipsi demonstranda retributio. Repleretur adeò civitas malis hominibus, & Dominorum jura sine ulla utilitate aut necessitate publicâ infringerentur. Deteriores essemus Pontificis, apud quos, notante B. Zieglero ad Lancellott. p. m. 166. ideò prohibita fuit ordinatio fervorum, non quod servus Clericus esse non posset, sed ne fides Christiana malè audiret, ac si Dominorum jura per ea inverterentur.

§ IV.

Jam videamus quid ex Disputatione Viri Clarissimi pro existentia hujus manumissionis colligere possimus. Sunt vero omnino duo. Primum est in cap. 1. §. 2. ubi adducitur, quod Pontifex Gregorius M. in Epistola quâdam ad Fortunatum Neapolitanum, cujus fragmentum continetur in can. 15. dist. 54. decreverit, cogendos esse Dominos, ut sua mancipia, quæ ad Christianam fidem converti & baptizari desiderant, pro pretio dimittant, adeoque locorum Episcopos omni sollicitudine eò laborare debere, ut omnibus modis in libertatem vindicentur. Sed si allegatum canonem §. distinctio percipias, deprehendes hunc ejus sensum esse: Si quis de Judæorum servitio, sive judæus sive paganus, intra tres menses (postquam Judæus eum emerat,) ad religionem Christianam, converti voluerit, pretium ejus Judæo ab emtore Christiano debet solvi. Si post tres menses id contingat, absque restitutione pretii & absque venditione liber debet fieri. Hic textus cum de Judæis Dominis disponat, ad Christianos Dominos non potest applicari, quia cessat ratio applicationis. Ideò enim hæc constitutio concepta est, quia Judæus non potest habere mancipium Christianum. Deinde etiam hoc casu baptismum non semper vim manumissionis habuisse patet, quod, si intra tres menses primos ad religionem Christianam se convertere voluerit mancipium Judæi, idem in potestate Domini Christiani, qui pretium Judeo solverat, manserit.

§ V.

Secundum est in cap. ult. §. 10. ubi sic Clarissimus Autor: *Quamvis absurdum non videatur illos, qui in bello Turcico capti sunt, servos etiam permanere debere arg. l. 5. §. 2. ff. de capt. quamvis ejuraverint religionem Mahometanam*

metanam & Christianâ imbuti sint, cum sententia sit probata servitutem personarum, & dominicam potestatem legi divinæ non adversari. Hahn ad Wesenb. tit. ff. de capt. n. 1. nec Evangelium abolere Politias 1. Cor. 7, 21. Quam ob causam in Lusitania aliisque regionibus adjacentibus adhuc moris esse dicitur Bodino, ut capti Turcæ servi permanere debeant, licet Religionem Christianam fuerint amplexi. Quæ fortè & ratio, cur usus mancipiorum & vernarum etiam duraverit per tempus inter Christianos, in tantum, quod etiam Ecclesiæ suos servos habuerint. Attamen cum charitate Christianorum paululum crescente inter eosdem servitus evanuerit, &c. ideò palam est, quod mancipia Turcica post baptismum non amplius pristinam immanem servitutem subire, sed potius verâ Christianorum libertate frui debeant. Continet hic paragraphus Viri Consultissimi & rationes dubitandi & decidendi. Rationes dubitandi quod atinet, (quas forte Hahnus ab ipso citatus, qui jam ad manus non est, ex Gudelino magnam partem hausit, quem vide de Jure Novissimo l. 1. c. 4. p. m. 6.) illæ quidem, cum pro mea sententia faciant, possunt manere intactæ, nisi quod illud obiter saltem moneam, me non videre, quale argumentum pro illa sententia ex l. 5. §. 2. de capt. extrui possit, ubi Pomponius; in pace, inquit, quoque postliminium datum est, nam si cum gente aliquâ, neque amicitiam, neque hospitium, neque fœdus amicitia causâ factum habemus, hi hostes quidem non sunt. Quod autem ex nostro ad eos pervenit, illorum sit, & liber homo noster ab eis captus servus sit, & eorum. Idemque est, si ab illis ad nos aliquid perveniat. Hoc quoque igitur casu postliminium datum est. Dubito, an paragraphum hunc intellexerit Vir aliàs eruditissimus, Dionysius Gothofredus. Nam notæ, quas ad eundem confecit, planè à paragrapho alienæ sunt. Intendit Jctus latrocinium gentis in gentem, tum temporis valdè receptum, de quo vide integram disputationem B. Patris. Sed quid latrocinium gentis in gentem cum mancipiis Turcicis commune habet?

§. VI.

Venio ad rationem decidendi, quæ hæc affertur, quod ideò manumissio per baptismum introducta fuerit, aut introduci debeat, quod crescens charitas Christiana moverit gentes Christianas, ut servitutem planè tollerent. Quæ ratio ob varias causas id quod probare debebat, mihi probare non videur. enim nullum est dubium, quod tempore Apostolorum in primitiva Ecclesia major fuerit charitas quàm seculis subsequentibus, & illi, ubi servitus inter Christianos fuit sublata. Si ergo excellentia illa charitatis Christianæ non impulit Christianos primos, ut servos etiam fideles manumitterent, uti non impulit, Ephes. 6. v. 9.

1. *Tim. 6, v. 2.* causa non est, ut dicamus eandem successu temporis & in seculis remotioribus, ubi Christianismus jam multis principiis Antichristi erat deterior redditus, id effecerit. 2. Falsum est eo tempore, quo servitus inter Christianos fuit sublata, crevisse Christianam charitatem, quæ profecto multo tepidior fuit & frigidior, quàm esse debebat, utpote cum illo tempore & ambitio, & avaritia & voluptas nomen charitatis sibi falso vindicarent. Ergo cum ista charitas crescens fit non ens, non potuit hunc effectum produxisse. 3. Servitus eo tempore saltem in tantum evanuit, ut Christianus à Christiano captus servus non fieret, mansit autem ad nostra usque tempora servitus, ut Turcæ capti servi fierent. Ergo si Christiana charitas illius temporis non impedivit initium servitutis in Turcis, non potest etiam allegari, quod impulerit eos ad Turcas manumittendos per baptismum. 4. Supponit illa ratio, quod erat in quæstione. Probari debebat, introductam fuisse manumissionem per baptismum, & loco probationis inquiritur in causam, cur introducta eadem fuerit. Alia plura ut jam taceam.

§. VII.

Sed pergit Vir Consultissimus: *Id quod luculentissimè confirmat Pius V. Papa, constitutione suâ de anno 1566. latâ, quæ habetur in Magni Bullarii Romani Tomo I. sub n. 17. quod edidit Laertius Cherubinus fctus Romanus, in qua disposuit Pontifex captivos eorumque prolem à servitute liberari debere, suscepto SS. baptisate. Video similia asseri à Gudelino d. l. p. 6. Verum, ait, recens est Pii Quinti Constitutio extans apud Petrum Mattheum in summa Constitutionum summorum Pontificum, captivos fieri liberos suscepto Baptisate qui sub tutelam civis cujusque Romani confugerint.* Respondeo 1. Constitutio Pii V. qualiscunqve etiam sit, non probare potest, quod manumissio per baptismum sit introducta tempore eo, quo ex hypothesis Consultissimi Autoris, Christiana charitas movit gentes Christianas, ut servitutum abrogarent, quia illa constitutio Pii V. est multò recentior abrogatione illa servitutis. 2. Si Pius V. demum introduxit hunc modum manumittendi per baptismum, non pertinet ad nos Germanos, quia obligat saltem eos, quibus lata fuit. At nos protestantes in Germania post reformationem (quo tempore latam esse illam constitutionem fatetur ipse Consultissimus Autor,) non agnovimus Papam legislatorem, imo nec Pontificii cives in Imperio eo tempore Papam Legislatorem agnoverunt. Ergo probare debebat Consultissimus autor, Constitutionem illam Pontificis in Germania esse receptam.

Sed

§. VIII.

Sed fortè etiam id non constituit Pius V. quod constituisse fertur. Mallem ut mihi licuerit ipsam constitutionem inspicere. Quæsi eam in Septimo Decretalium, quem librum Petrus Matthæi edidit, sed ibi non inveni. Istum vero librum quem Gudelinus allegat, non habeo. Adduxit quidem Consultissimus Autor ex prædicto Bullario verba prolixius. Sed exinde mihi videtur parum probari posse. Contraham rem in summam. *Provocat Pius V. ad constitutionem Pauli III. qui redintegraverit facultatem & privilegia Conservatorum & Populi, mancipia (seu Sclavos,) post baptismum ad Senatus Camera officium ac illius conservatores confugientia, secundum veterem consuetudinem ab aspero servitutis jugo liberandi. Hanc Constitutionem Pauli III. Pius V. confirmat, & servos prædicto modo per Senatum Camera & Urbis Conservatores liberatos vult haberi plenissime pro civibus Romanis.* At vero ut taceam 1. istam constitutionem specialem ad districtum urbem Romæ pertinentem malè extendi ad Germaniam, non potest 2. sensus illius constitutionis perspicuè cognosci, si non & ipsa Pauli III. Constitutio, ad quam se refert Pius V. inspiciatur, quia referens sine relato interpretari non possumus. 3. Ipsa constitutio aperte ostendit, neque ex mente Pii V. aut Pauli III. manumissionem tum per ipsum baptismum factam fuisse, sed per dationem specialem Conservatorum & Senatus Camera, postquam mancipia baptizata ad ipsos confugissent, ergo baptizati eò non confugientes manebant servi. 4. Quia & Paulus III. ad veterem consuetudinem provocat, à verò non est ab simile, totam constitutionem utriusque Pontificis non loqui de mancipiis baptizatis omnibus, sed de mancipiis Judæorum vel aliorum infidelium. *Confer supra §. 4. Quod si esset, eadem responsiones essent hic repetendæ, quas jam supra d. §. 4. dedimus.*

§. IX.

Ergo si nulla datur in Germania manumissio per baptismum, uti hætenus adhuc videtur, frustraneæ sunt quæstiones à Viro Consultissimo de hac manumissione per baptismum motæ, v. g. an maritus mancipium uxoris possit ita manumittere? an uxor possit invito marito? an Proprietarius ita manumittere possit servum usufructuarium? an socius invito sacro possit? *vid. cap. 1. §. 12. usque ad 27.* frustraneæ sunt assertiones: differentiam esse inter hanc manumissionem & reliquos modos manumittendi, quod in illis olim apud Romanos invito libertatem consecuti fuerint *l. 15. §. 2. C. de testam. manum,*

manum. ad hanc vero invitus non cogatur; (*d. c. 1. §. 42. & 43.*) item quod ad hanc manumissionem omnes admittantur etiam Jure Romano inhabiles, ut servi plagiarii, Candidati torturæ, servi oppignorati &c. (*d. c. 1. §. 47. seqq.*) quod manumissi per baptismum gaudeant jure civitatis & fiant municipes in illo loco, ubi Patronus sit municeps, debeantque inter opifices recipi & tolerari; quod munera patrinorum pertineant ad manumissorum patrimonium, nec sint peculium; quod habeant testamenti factionem activam & passivam, & possint ab intestato succedere; quod sint capaces honorum & dignitatum in Republica; quod Uxor infidelis Turcæ baptizati gaudeat iisdem honoribus quibus maritus, non vice versa &c. (*vid. cap. ult. §. 30. 31. 32. 33.*) Id saltem duobus verbis addere liceat (1) falsum esse, quod apud Romanos inviti libertatem acceperint servi, non obstante, quod in *d. l. 15. §. 2. C. de manum. testam.* dicatur: *nemini servorum licere Romanam civitatem recusare.* Pertinet enim hæc assertio ad flosculos errorum Triboniani. 2. Occasionem dari ad malitiam, si per baptismum quis manumitteretur, vel eò quod hoc casu servi oppignorati in fraudem creditorum manumitterentur, quod juri naturali est contrarium. 3. Repugnare praxin morum nostrorum assertioni, quod munera patrinorum non pertineant ad peculium, quod est in proprietate Domini. Pluribus observationes declarabimus in discursu.

T A N T U M.



00 A 6336

ULB Halle 3
002 928 728





5b.

VD 17

Reho ✓







tractatu
as non
moriã
ea ad-
ium &
inter-
omni-
m ob-
gè fa-
e sunt,
quod
ri sint,
genio
cepta

onita
esse.
pro-
ogo:
suas
utio:
e

Q. F. F. Q. S.
IN ACADEMIA FRIDERICIANA
CELEBERRIMI AUTORIS
De
RATIONE STATUS
Dissertationem XV. & XVI.

De
**VOTORUM PLURALITATE ET
ARBITRIO IMPERATORIS, DEQUE
REGIMENTIS IMPERII, DEPUTATIONE, CIRCU-
LARIBUS CONVENTIBUS, ET VISITATIO-
NE CAMERÆ,**

Cum adjuncta Qvæstione
*An Mancipia Turcica per Baptis-
mum manumittantur.*

Publicè ventilabunt
Die V. Octobris M DC XCIII, horis antemer. à X, ad
XII. & pomeridianis à III. ad V.

CHRISTIANUS THOMASIUS,
& Respondens
HENNINGUS ADOLPHUS Koch/
Hoyensis.

HALAE MAGDEBURGICAE
Typis CHRISTOPHORI SALFELDII, REGIMINIS ELECT.
BRANDENB. Typ.

are, n
temp
e nihil
on jac
terim
interp
s. C
e ibide
Vir Cl
am ex
retari
quid co
7. sic
excogi

Clari
tionis
iqva,
r inte
p. 116.
nonfr
tentata
vald
tatis

